

SPECIMEN ACADEMICVM

DE

קושיא בלא זאת או נירונכרניר או רעגירשפורגר

SIVE

DE MODO DISPVTANDI, QVO DOCTORES  
IVDAEI QVONDAM NORIMBERGAE IN EXERCENDIS  
ATQVE ACVENDIS SVIS DISCIPVLIS VSI SVNT

QVOD

AVCTORITATE AMPLISSIMI ORDINIS  
PHILOSOPHICI

*PRAESIDE*

M. IOHANNE ANDREA MICHAELE NAGELIO

A. D. xxviii IANVARII A. S. R. cl<sup>o</sup> l<sup>o</sup> ccxxxvii

PVBLICAE DISQVISIONI EXPONIT

LEONHARDVS APPOLTVS

SVOBACO-ONOLDINVS

---

ALTORFII

TYPIS IOD. GVIL. KOHLESII, ACAD. TYPOGR.

~~21.~~

a. cxxxiii. 12.

Coll. diss. A  
83, 12



Sächs.  
Landes-  
Bibl.



PROOEMIUM.

**Q**uantum usum 1) *Ioh. Buxtorfius*, senior, 2) *Constant. Lempererius*, 3) *Henr. Iacob. Bashuyfenius*, et alii, tribuerint libro הליכות עול in legendo atque tractando 4) Talmude; obscurum esse potest nemini, qui Rabbinicae literaturae operam aliquam dedit. Cum quo libro ob utilitatem suam merito a *Bashuyfenio*, anno S. R. 1714 *Hanouiae*, ordine quarto, una rursus edita sunt alia eiusmodi scripta; nimirum R. Samuelis מכווא הנמרא; item R. Salomonis, filii Eliakimi Panzii מפתח הנמרא; atque 5) R. Mosis Danielidae סוגיות התלמוד. Ut uero in his scriptis formulae Talmudicae explicantur, itemque ratio et methodus traditur, qua in Talmude disputatur: ita in libello סוגיות התלמוד fit mentio modi disputandi Iudaeorum *Norimbergensium* et *Ratisbonensium*, qui in ceteris his libellis non memoratur. Cum ergo haec disceptandi ratio in hoc tempus paucis comprehensa fuerit et percepta: nos operam perdere non credidimus, si speciminis Academici loco in explicando hoc studio, quod quondam apud Iudaeos *Norimbergenses* et *Ratisbonenses* uiguit, uires nostras qualefcunque experiri institueremus.

A 2

§ I.

- 1) In bibliotheca Rabb. 2) In praefat. edit. suae. Confer quoque dedicat. edit. Bashuyfenianae. 3) Vide eius Praefat. clauis Talmudicae maxime adiectam. 4) Quando nos in nostra disputatione meminimus Talmudis, Talmud significamus Babylonicum. 5) Hic libellus multum ad explanationem Talmudis ualet, sed stilo est compositus difficili; ut ideo nonnulli fuerint, qui censerent, eum, nisi praeunte docto aliquo Rabbinico, intelligi non posse. Vide Bashuyfennii dedicationem libri modo laudati.





## §. I.

De fonte  
primario  
argumenti  
nostrae  
disputatio-  
nis.



Entionem iniicit modi huius disputandi, Moses, Danielis filius, statim in fronte libelli sui his uerbis: **היאך לישב קושיא שהוא בלא זאת או נידון ברניד אורענירשפורגר** hoc est: ( et reperient in hoc libello *uiam*, ) qua occurrere possint obiectioni, ( quae dicitur ) **בלא זאת**, siue modus disputandi Iudaeorum Norimbergensium et Ratisbonensium. Aperte itaque hic dicit Moses Danielides, se esse docturum in opusculo suo etiam de disputationis genere, in quo Iudaei Norimbergenses et Ratisbonenses delectati quondam fuerint. Id uero in ipso suo opusculo praestare quibusdam non uisus est. Unde quoque Bashuyfenius in *addendis* suis ad *clauem Talmudicam maximam* pag. 510 promittit, inquit, in hoc libro eum *usus Nuremberger et Regenspurger expositurum*, quod tamen his sub titulis non facit, et hinc uideri potest aliquid promittere, quod non praestat. Et eadem pagina eadem de re sic pergit: *Quod attinet haec uocabula, crediderim multos etsi in Gemarisis exercitatissimos, tamen per totam uiam nihil de his usibus audiuisse, nec auctor nostri סוגיות התלמוד suo loco annotat, quid illi sint? Rationem si quaeris,*  
haec



haec est, quia Iudaei Doctores Germani, has notiones, ut inuenerunt, ita facile exponere possunt etc. Cum autem aliquoties attente hunc libellum perlegeremus, inuenimus, Mosen Danieliden fidem suam de explicando hoc disputandi modo datam non fefellisse. In qua sententia stabi- lienda ante omnia nunc elaborabimus.

§. II.

Omnis error, Mosen Danieliden nihil in libello suo de hoc differendi modo tradidisse, ex titulo huius scri- pti minus recte intellecto, maximam partem ortus est. Quod ut eo facilius ostendi possit, ipsum huc collocabi- mus, et interpretatione Latina collustrabimus, en eum:

Initium  
confirma-  
tionis sen-  
tentiae no-  
strae.

סוגיות התלמוד

בו חמצאו סוגיות ודרכים היאך ליישכך דבר דבר על אופניו  
וכו תרוה כל צמאוננם היאך לתמוד הסוגיא בחילוק דרבנן  
והבחורי חמד החשובי ומופלגים ימצאו פתח היאך ליישב  
קושיא שהוא בלא זאת או נירון כרגיר או רעגיר שפורגיר  
ושאר סוגיות ברשי והי כל מכקש מצא אל אחור פתח  
השער ויראה בהקדמתו שכל כוונתי היה רק לזכות את  
הרכים ובכן עושו גוסו חושו וקנו ואל כסבכם  
אל תחוסו כי הוא נחמד למראה וטוב להשביל.

נדפס פה קק זאלקווי בדפוס המשובח הרר אורי פייבש  
בן מהרר אהרן הלוי זצל תחת ממשלת המלך האריר  
יאהנס ירה.

Latinus uero hic titulus per nos interpretes ita est: *Liber formularum atque disputationum Talmudicarum. In quo inueniuntur formulae et modi, quibus singula (in Talmude) dicta ad fines suos referantur. Quo facto explebitur desiderium eorum, qui cognoscere cupiunt sermones, quibus Rab- bini dissensiones suas significant. Praeterea illi, qui non sine sua singulari commendatione atque honore se studio Talmudico*



dant, reperient in hoc scripto: formulas in Raschio obuias, et uiam, qua resistant obiectionis generi, quod dicitur בלא זאת, siue methodus differendi Norimbergensis et Ratisbonensis. Et qui scrutatur, cernet additum quoque esse singulorum membrorum indicem. Ceterum ex praefatione me intelliget nihil aliud esse secutum, atque ut de quam plurimis bene mererer. Ideo conuenite, adeste, festinate, et emite libellum hunc, nec pecuniae tantulae parcite. Libellus enim hic non solum oblectationem affert illis, qui eum inspiciunt, sed quoque magnam utilitatem, qui eum intelligunt. Excusus est in urbe Sulcouia, sancti coetus altrice, typis celeberrimi Doctōris Vrii Phaibesi, filii praestantissimi Aaronis Leuitae, piae memoriae; regante potentissimo Iohanne, magnae maiestatis rege.

## §. III.

Continua-  
tio confir-  
mationis  
nostrae.

Ex hac nostra uersione clarum iam est, non significari res uarias, his tribus formulis: קושיא בלא זאת או נירון ברנר או רעגירשפורגר; sed potius unam atque eandem, quae diuersis tantum a re subiecta profertur nominibus. Vnde quoque non recte se habet illa uersio, quae est in editione Bashuyseniana, qua particula או redditur per uocabulum; aut; cum illa hic uerti debuisset per uocabulum, quod magis coniunctionem et similitudinem notat, quam separationem et dissimilitudinem. Vtramque uero habere significationem uoculam או, nimirum copulandi et separandi, notum est. 1.) Quae cum ita sint, non est mirandum, quod Moses Danielides

1) Rabbinus Abrah. Balmesius in מא atque eius שער ובחלוק היא מלת : או de particula מלות הטעם או והיא מחברת המאמרים ומחלקת הענינים עד שעל לל



nielides in ipsa tractatione opusculi sui mentionem nul-  
lam

הרוכ תפול בין שני מתנגדים - ולפעמים תפול בין  
חלוקים שאינם מתנגדים אבל הם נפרדים  
hoc est: Diuisioni inseruit particula או, quae eadem copulat ora-  
tionem, et res partitur; quamuis uero plerumque ponatur inter duo  
diuersa, - - interdum tamen etiam locum habet inter res indiui-  
duas, quarum una ab altera non est diuersa, sed quae sunt  
res dumtaxat multae similesue. Ceterum haec grammatica  
tota non est Balmesii. Ipsius enim labor Hebraicus,  
in editione Bombergiana, ordine quarto, anno 1523  
edita, quae quidem paginarum numeris destituitur,  
pertinet usque ad partem posteriorem capitis octauī.  
Latina autem uersio, quam, teste Bombergio in prae-  
fatione, noster Balmesius composuit, et post eius mor-  
tem Calonymus emendauit, desinit iam in capite de  
compositione et regimine, ubi folio, litera II D notato,  
pagina conuersa, haec leguntur: *Hic obiit rabi Abraham  
de Balmis: huc usque est eius traductio.* Reliquum uersio-  
nis operis Balmesiani, et ipsa tota pars altera capitis  
octauī, quae pars rationem accentuum exponit, de-  
betur Calonymo, filio Dauidis, quod cum ex praefa-  
tione Bombergii elucet, tum ex argumento membri de  
accentibus. Dicitur quidem Balmesius a Calonymo in  
summa membri de accentibus Grammaticam suam morte  
praereptus, non absoluisse; quod tamen, cum ex illis,  
quae mox dicemus, constabit, Balmesium praefationem  
libri sui post librum ipsum conscriptum demum literis  
consignasse, ita intelligendum esse putamus, Balme-  
sium quidem ad finem perduxisse suam grammaticam,  
sed deinde Calonymum nonnulla, nimirum partem uer-  
sionis Balmesianae, et totum capitis octauī membrum  
posterius, quae ipsi fortassis non satis limata et perpo-  
lita uidebantur, demisse, atque eorum loco et suam  
interpretationem, et suum opus de accentibus addidisse  
eidem grammaticae. Quam nostram sententiam ipse  
Bomber-



Iam fecerit duorum nominū: **בְּנֵי רֹזֵן בְּרִנִּי אֹרְעַנִּי רִשְׁפּוֹרְגִי**;  
dum

Bombergius in sua praefatione tueri his uerbis uidetur; ubi diem suum obiisset idem *Abraham*, maiori libertate usum *Caloen Calonymum* uirum apprime doctum sententias fere totas permutasse aequo animo tuli. Immo hoc plane manifestum reddit finis praefationis *Balmesii*, quo ait: **שְׁבַח לְמַנְעָה** **עַל־הַשְּׂמִינִית** quae uerba hic interpretamur: *Gloria sit (Deo) qui mihi facultatem octo capita (Grammaticae meae) absoluendi tribuit.* *Calonymus* autem ille uocatur etiam in hoc libro: *Caloes Calonymus*, et *Calo*; itemque *Calo Calonymus*. *Caloes* uero, et *Calo* esse nomina corrupta ex uoce *Calonymus*, potissimum ex eo clarum est, quia ipse *Calonymus* nomen suum, quod ab exordio membri de accentibus in Hebraico **קְלִימוֹס** est, in Latina uersione per uocem: *Calo*, transtulit, et in fine huius membri de se dixit: *idem Calo Calonymus qui supra.* Loco nominis autem: *Calo*, Bombergius in praefatione sua adhibuit: *Caloes*, eumque ibi appellauit: *Caloen Calonymum*. Res uero est nota, Iudaeos frequenter ex nominibus propriis, aut ex aliis multisque causis et rebus, orta cognomina gerere. Vide *Celebr. Wolffii praefat. Vol. I bibl. Hebr. pag. 22. seq.* Idem hic Vir literarum Hebraicarum scientissimus, eodem uolumine libri laudati, in nota numeri 108 scribit, *Balmesium* Grammaticam suam appellasse **מְקַנָּה אֲנָרִים**, quia, dum in libro hoc scribendo uersaretur, duobus liberis priuatum se sensit. Vbi notandum est, *Balmesium* habuisse duos filios, et ob ambos morte amissos, librum suum dixisse **אֲנָרִים**, sed unum tantum perdidisse, dum in Grammatica sua conficienda occupatus erat, alterum uero iam ante ex hoc uita migrasse. Ei enim duos fuisse filios his uerbis, in praefatione sua fatetur: **וְנִשְׂאָרְתִי מִשְׁנֵי בְנֵי**, et *solus iam superstes sum, orbatus duobus meis filiis*; unum autem ei tantum adhuc superasse filium, cum ad Grammaticam.



dum satis esse putabat, se explanare formulam **בלא זאת** quae non aliam complecteretur speciem, quam uerba; **נירון ברנר או רענירשפורנר**. Vocem **נירון ברנר** habet quidem noster etiam in suo sectionum opusculi sui indice; sed tamen in ipso membro secundo, neque aliquid expresse de uocabulo **נירון ברנר** tradit, neque de uoce **רענירשפורנר**. E contrario in argumento membri secundi non promittit, se illustraturum esse hac sectione secunda **קושיא בלא זאת**, et tamen hoc deinde facit, quod nimirum eadem est res, methodus disputandi **בלא זאת** et **רענירשפורנר** et **נירון ברנר**.

B

§. III.

maticam hanc scribendam aggredieretur, de cuius morte certior factus est, cum elaborando membro Grammaticae suae de proprietatibus propriis particularium coniugationum distentus esset, testantur eo loco, folio secundo literae III A haec uerba: **ואני בעניי בחברי השער הזה באה אלי השמועה הרעה כי נכרת שרשי מתחת ולוקח מהמד עיני ומחמל נפשי בני יחירי-- מאירי** id est: *cumque in hac mea calamitate caput hoc contexerem, accepi infelicem nuntium, excisam penitus esse stripis meae radicem, -- et orbem me factum esse oculorum meorum desiderio, et mentis uoluptate, filio meo, qui mihi adhuc unicus supererat, Meiro.* In praefatione autem plenius nomen huius Meiri exstat, ubi a patre suo uocatur Menachemus Meirus. Esse autem hunc Menachemum Meirum eundem cum illo Meiro, exinde concludi potest, quod ubi Balmesius de eius morte dixit, statim se **ערירי** sine *α]εννον* iam esse queritur. Ille igitur fuerit necesse est, quem loco ante citato **יחירי** dixit. Ex his denuo liquere credo, Balmesium praefationem Grammaticae suae conscripsisse demum post ipsam Grammaticam finitam, quia aliter filii huius mortem in ea memorare non potuisset.



## §. III.

Absolutio  
confirma-  
tionis no-  
strae.

Maxime nostram fulcit sententiam, quod Moses Danielides statim in fronte libelli sui dixit, sed adiunxisse eidem indicem membrorum et partium, quae in suo tractarentur opusculo. Hic uero index exstat post praefationem libelli, et aperit, XXXX sibi proposuisse Mosen Danieliden membra exponenda. Membri autem secundi argumentum in indice hoc est: **נִירוֹן בְּרִנִּיר וְהוּא כְּשֶׁהִמְקֵשׁן מִכִּיָּא ב' בְּרִייתוֹת הַסּוֹתְרוֹת אֶהְדִּירִי**. Quod si ipsum membrum secundum euoluas, uidebis ei praescripta esse uerba, quae hoc ex indice relatam argumentum repetunt, et tantummodo clarius et copiosius quam ante, lectoribus ob oculos ponunt. Haec enim ibi leguntur: **סוּגְיָא כְּאִשְׁרֵי הַמְּעָא תַּמְעָא בְּתַלְמוּד ב' מִקְשָׁנִים וּמִכִּיָּא כָּל אֶחָד י) בְּרִייתוֹת הַסּוֹתְרוֹת אֶהְדִּירִי וְהוּא** Cum igitur easdem esse uideas notas methodi differendi *Norimbergensis*, et methodi **בלא זאת**, quae in hoc membro secundo et explanatur et saepius nominatur; necesse etiam est, eandem esse rationem methodi disputandi, quae dicitur **בלא זאת**, et modi differendi *Norimbergensis*. Consequitur porro exinde, ut eundem esse statuas modum disputandi *Ratisbonensem*, cum methodo **בלא זאת**, et ratione differendi *Norimbergensi*. Nam eandem reperimus connexionem et copulam inter illa uerba: **קוּשִׁיא בְּלֵא זֹאת אוֹ נִירוֹן בְּרִנִּיר**; et inter haec: **נִירוֹן בְּרִנִּיר אוֹרְעִיר שְׁפּוֹרְגֵר**. Huc accedit, cetera omnia eo explanari loco et ordine, quo unumquodlibet eorum expositum iri index ostendat

1) Hic literam 'ב', compendium scribendi, excidisse coniectamus.



derat. Quod si autem secundum membrum locum suum et ordinem non teneret, sed alio esset coniectum: aliae quoque scripti huius partes cum membrorum summa non conuenirent, quod tamen aliter est. Sin hoc non accidit, quis, quaeso, asseuerabit, irrepsisse in secundi membri locum aliquid, quod in indice non fuit indicatum; et id quod secundum indicem in membro secundo exponendum erat, plane esse omissum. Et id tamen, si quis opinetur, nitatur falsa esse, quae paullo ante posuimus.

§. V.

Postquam igitur satis ostendimus, Mosem Danieliden nostrum explicasse in libello suo modum differendi **בלא זאת או נירון ברגיר . או רענרשפורגיר** nos eius ue-  
 stigia secuti, 1) de hoc disputandi genere commentabimur. Ante uero quam hoc faciamus, quaedam monebimus, quae ad illustrationem eorum, quae sequuntur, pertinent. Dicit Moses Danielides in illo membri secundi repetito et amplificato argumento, hanc disputandi methodum inueniri in Talmude. Sed minus recte inde aliquis concludat rationem, ipsa nomina: **נירון ברגיר** quibus hic differendi modus significatur, in Talmude reperiri; id quod aliquando putauerat Bashuyfenius, dum in *addendis ad clauem Talm. max. pag. 510 frustra*, inquit, *in Gemara hos terminos olim quaesui*. Res enim ita est: 2) cum Iudaei *Norimbergenses* prae aliis suae gentis hominibus studio legis suae dediti essent, se-

Monentur  
 quaedam  
 ad argu-  
 mentum  
 disputati-  
 onis no-  
 strae fa-  
 cientia.

B 2

lege-

1) Nitemur potissimum membro II libelli nostri. 2) Hoc ex titulo huius libelli, et eius membro secundo liquet. Quibus adde singulare studium horum Iudaeorum, quod in libris olim rarissimis et pretiosissimis conquirendis posuerunt.



legerunt sibi aliquam peculiarem rationem disputandi de disciplina sua, quae ratio 3) ex Talmude expressa est. Dum, ut ibi nonnumquam in Gemara ita certo modo disputatur, ut duo sint, qui quaerant, et unus, qui respondeat; sic Norimbergae et Ratisbonae Iudaei Doctores discipulos suos, eo melius imbui crediderunt 4) disciplina Iudaica, et praesertim explicatione legis suae, si  
hoc

runt. Hoc autem uel ex pactione quadam constare potest, qua 1426 aliquis Rabbinus, nomine Vrius, filius Iecuthielis, Rabbino Daudi, itidem Norimbergae degenti, praeter alios libros, quos se ex omnibus mundi partibus collegisse gloriatur, Talmud et partem Alphefii, uendidit. Raro autem etiam apud Iudaeos, Talmud et Alphefius ea quoque aetate inueniebantur, qua quidem iam typis, sed tamen nondum crebrioribus uicibus exscripti fuerunt, nedum huius pactionis tempore, quo libri nondum typis excusi erant. Vide hac de re, quantum ad Talmud attinet, *Christian. Reineccium* in praefatione ad libellum Antonii Margaritae *de Iudaeor. relig.* Et quod ad Alphefium pertinet, *Schudtium* parte III, *rerum memor. Iud. contin. II, Libr. VI, cap. 19, pag. 148.* Huius uero pactionis formulam ex insigni rei suae antiquariae et literariae apparatu, pro eximia sua gratia in nos et nostra qualiacumque literarum studia perclementer nobiscum communicauit Perillustris DOM. HIERONYMVS GVILIELMVS EBNERVS ab Eschenbach, inclutae R. P. Norimbergensis Triumuir, atque rerum sacrarum et literarum Ephorus grauissimus. 3) Ideo a Mose Danie- lide haec differendi ratio recensetur inter disputandi modos in Talmude obuios. 4) Hoc esse ultimum atque extremum earum disputationum, quae apud Iudaeos a discipulis habentur, docet nos locus quidam in libro **צמח 717**, qui mihi parte prima, *fol. 10* ita existat: **רבי יעקב פאלק**



hoc pacto interdum differerent. Atque ideo nomina haec in Talmude inueniri nequeunt.

§. VI.

Quod iam attinet ad ipsos differentes harum con-  
 tationum, eorumque numerum, sic habeto, duos fuisse, De numero horum disputantium, eorumque nominibus Hebraicis. qui quaerebant, et unum, qui respondebat. De praefide quidem nihil expresse dixit Moses Danielides; sed cum hae disputationes pro re alia nulla haberi possint, quam pro aliquo docendi modo, facile apparet, 1) Rabbinum quendam omne hoc temperasse opus. Neque uero necesse erat, ut Moses Danielides huc multa traderet, de munere Rabbini in huiusmodi disputationibus, quod suum libellum non doctoribus Iudaicis, sed discipulis conscripsit, simulque hanc differendi rationem,

B 3 ita

פאלק הוא הרב הגדול אשר שמעו יצא מסוף העולם  
 ועד סופו כבר היה ראשה ישיבה ואב בד עסרכי איזוק

מרגלית פה קק פראג ונתקש בישיבה של מעלה הנם  
 הוא סביב לשנת רץ ואומרים שהוא רבי פאלק היה  
 הראשון אשר המציא ברוב שינון חדודו וחריפתו את  
 המציאת פילפול החלוקי שנוהגים בו ראשי ישיבו  
 במדינת אלו לחדר בהם את תלמידים מומנו עד

hoc est: Iacobus Polonus, est magnus ille  
 Rabbinus, cuius fama in toto orbe percebuit. Iam fuit rector  
 Academiae et ordinis senatorii pater cum Rabbino Isaaco Mar-  
 garita, in urbe Praga, sancti coetus nutrice. Auocatus uero  
 est in Academiam caelestem, circa annum 290. Hic Iacobus Po-  
 lonus primus fuisse traditur, qui ingeniosa acutaue ratione inuenit  
 illud disputandi genus, quo adhuc Academiae rectores in illa  
 regione acuendos curant discentes.

1) Conferatur locus ex libro צמח דוד modo relatus.  
 2) Vide



ita ut in Talmude occurrit, proposuit, ubi, ut infra dicitur, moderatori non est locus. Quilibet uero opponentium dicebatur 1) **מקשה**, siue **מקשן**. Et uni cuilibet eorum hi dicendi modi accommodabantur: **מביא מקשה**; **בא המקשה**; **הקשה המקשן**; hoc est: *obiecit quaerens; protulit opponens objectionem* etc. Respondens dicebatur **חרצן**, id est, *soluens, qui soluit dubia proposita*. De eius responsione autem, et dubii solutione haec usurpabant: **חרץ החרצן**; *soluit ita rem respondens*; **הירוצן**, *solutio respondentis fuit*. Praefes procul dubio consueto nomine **רבי** honorabatur.

## §. VII.

De fontibus conclusionum, quibus in his disputationibus utebantur.

Argumenta eiusmodi disputationum desumebantur aut tantum ex Talmude, aut ex sacro codice et Talmude simul. Ex Talmude passim eligebant constitutiones exoticas, itemque alia testimonia. E sacro codice uero citabant ad testimonium quosdam uersus, quibus respondentis sententiam urgebant atque impugnabant. Ordinem autem in proferendis his argumentis et testimoniis, eum seruare solebant, quem paragrapho sequenti describemus. Omne uero negotium quaestionibus et responsionibus perficiebatur.

## §. VIII.

De duplici harum disputationum modo, et sigillatim de priori.

Totus hic disputandi actus duplici modo absoluebatur. Prior sic erat: proposita erat (sine dubio a Rabino) aliqua quaestio, de qua disputari debebat, quae dicebatur **פלוניה**. E. g. interrogabatur an certa quae

1) Vide membrum secundum l. c.



quaedam actio licita esset. Quaerens itaque prior, qui actum ordiebatur, statim in initio ex respondente quaerebat ipsius de proposita quaestione sententiam, utrum permittendam illam actionem putaret, an minus? si respondens sibi actionem licitam uideri dixerat, tunc opponens proferebat primo testimonium ex Talmude, quod eam uetitam esse statuebat; addebat uero ipse opponens constitutionem exoticam, quae eandem actionem permittebat. Quod, ut perturbaret respondentem, faciebat. Vbi sic aliquamdiu disputatum fuerat, idem opponens, ut eo magis irretiret suum respondentem, adhuc aliud referebat testimonium ex Talmude, quod priori erat contrarium, et permittebat, quod prius uetabat, insuperque aliam citabat constitutionem exoticam, quae et ipsa negare uidebatur, quod prior constitutio exotica aiebat. Respondentis tunc erat probe defigere animum, et intendere in has captiosas interrogationes, ut ne iis circumscriptus a recta testimoniorum et constitutionum exoticarum interpretatione descisceret, sed liquido ostendere ualeret, unculibet testimonio, itemque utrique constitutioni exoticae suum esse sensum, neque pugnare inter se ipsius de quaestione proposita sententiam, et citata ab opponente. Posterior 1) quaerens simili ratione suo perfungebatur officio, neque aliter agendum ipsi erat, quam priori.

§. VIII.

Sin ordine uti uolebant disputantes posteriori; tunc quilibet opponens unum tantum contra respondentis sententiam adducebat ex Talmude testem; cui deinde ut modo priori fieri solebat, duas constitutiones exoticas,

De modo  
posteriori  
harum dis-  
putatio-  
num,

1) Vid. Mos. Dan. membr. sec. part. I.



oticas, unam post alteram, opponebat, quae et ipsae inter se pugnare uidebantur. Vbi uero hoc modo disputabant, interdum loco constitutionum exoticarum 1) duos proferebant uersus e sacro codice, quorum unum alteri aduersari crederes. In fine, ut antea, a respondente ostendebatur, si omnia rite beneque explicarentur, nihil in omnibus inesse pugnae, et contradictionis, suamque de data quaestione responsionem omnino stare.

## §. X.

De loco  
differendi  
apud Iu-  
daeos.

Locus dissertationum apud Iudaeos ordinariè est **בית מדרש**, quod ipse Moses Danielides noster memorat membro VIII libelli sui, ubi dicit: **בני בית מדרש לא השיבו לו על קושיא זאת**. Et uidetur locus adhuc sciri posse, ubi quondam Norimbergae tale auditorium, siue **בית מדרש** fuerit. Eum locum Christ. Arnoldus in *accessionibus suis ad Sotam* a Wagenfeilio editam; pag. 229. seq. ita depingit: *hodiernum Norimbergae, in platea Iudaeorum, ceu uulgo uocant, aedes conspiciuntur; et in his Synagoga uetus, super cuius ostio uelut aedicula quaedam lignea a prisco artifice sculpta, parieti affixa est; uel corona potius turrata, ex utroque latere apparent duae hae uoces, aureis literis exornatae, atque incisae:*

**כתר תורה**

*id est: CORONA LEGIS. Ibidemque hi rhythmi ueteres leguntur, annum 1499 continentes, quo Iudaei ex urbe nostra penitus exesse iussi sunt:*

*Der stein ist nach den luden blieben,  
Als sie von Nürnberg wurden uertrieben,  
Von Hauskauff und Gassen fürvvar,  
Im tausend, vierhundert, neun und neunzig lahr.*

Qua

1) Ibid. parte 2.



Qua super re Schudtius, in *rebus memorabilibus Iudaeorum parte 1, libr. V, cap. 6, pag. 366* ita commentatur: *Weil aber die Scribenten gedenken, dass der Iuden Synagog abgerissen worden, so mögte das Hauß, vonuon diese Verse noch zu sehen, vol nicht der Iuden Synagog, sondern eine Schule gewesen seyn, zu lernen für ihre Jugend.* Et pag. 367 haec adiicit: *ich halte -- dass es eine Lehr-Schule der Jugend, so sie בית מדרש nennen, gewesen.* Cui sententiae, nos non habemus, quod opponamus, cum praefertim Wagenfeilius in *commentatione de ciuitate Norimbergensi pag. 68* testetur, Iudaeos Synagogam (siue templum) quam loco prioris templi exstruxerant; in loco uico suo magis uicino, (ideoque non in ipso suo uico) restituisse. Monumentorum autem uerbis dubiam quodammodo mentem parit ἀμφιβολία uocabuli: *Synagoga*, quo uocabulo non solum templa, sed etiam scholas siue auditoria Iudaeorum uulgo nominant. 1)

§. XI.

Quae uero ratio sit loci apud Iudaeos בית מדרש dicti, paucis nunc explicabimus. Significat בית מדרש proprie aedes disquisitionis, siue in Academia Iudaica auditorium, in quo et docetur et disputatur. Sic 2) Raschius scribit ad locum Talmudicum כתוב fol. 105 בתי מדרשו למשנה ולתלמוד; *domi disquisitionum ad docendam discendamue Mishnam et Gemaram constitutae et definitae sunt.* Et Elias Leuita, in תשבי suo, radice דרש, haec docet: גם הבית או החדר המיוחד ללמוד תורה נקרא בית מדרש etiam domus, uel auditorium addiscendae legi destinatum,

De ratione  
בית  
מדרש

C

uocatur

1) Buxtorfio teste, in *Snyag. Iudaica pag. m. 187.* 2) Allegat ad hunc locum Celebr. Wolfius, in *bibl. Hebr. uol. II, pag. 919.* Con-



uocatur 'ב'מר. Disputationibus quoque locum in בתי  
'מרט' esse, uel ex 1) uerbis Mosis nostri Danielidae  
certum atque comprehensum est.

§. XII.

Cur hic  
disputandi  
modus di-  
catur No-  
rimbergen-  
sis?

Iam supra, periodo tertia, effectum est, triplex esse  
nomen methodi huius disceptandi, cum ea appelletur et  
methodus *Norimbergensis*, et *Ratisbonensis*, et בלא זאה.  
Modus *Norimbergensis* disputandi dicitur, ab urbe 2)  
*Norimberga*, ubi eum Iudaei aut quasi inuenerunt, et  
omnium primi introduxerunt in sua auditoria; aut certe  
opti-

1) Confer §. X. nostrae dissert.

2) Mireris, quantopere uariant Iudaei in scribendo nomine  
urbis *Norimbergae*. Alias duabus id efferunt uocibus.  
Sic Moses Danielides scribit: נירון בירג. Schabbataeus  
in פי fol. קו: בערג; In צמח דויד, folio פד ex-  
stat: נירון בורג; alias uno uerbo id nomen expri-  
munt, ut R. Leo in מלחמה בשלום, pag. 157:  
נירונבורג; Continuator Daudis Gansii in libro *Tzemach*  
*Dauid*, fol. סג: נירונברק; et fol. סו: נירנבערק; fol.  
עב: נורנבערק; et fol. עג: נערנבורק. Elchanan Paul-  
lus Pragensis: נורנבורג. De hoc Elchanane uid. Celb.  
Wolfii *bibl. Hebr.* I, III, et IIII, ubique num. 224. Repe-  
ritur eius manus hic in bibliotheca Academica Altorfina,  
in prim uolum. bibliorum Hebr. Roberti Stephani or-  
dine 16mo, VIII uolum. non VII, ut in Wolfii, modo lau-  
dati, b. bl. Hebr. fol. II, pag. 370, fortassis ex errore typo-  
graphico, legitur, tribus annis, nimirum 1544 --, 1546  
excusorum, in quorum uolum. I a fronte legitur locus  
quidam Epiphani, et breue ἑπιφανία in eundem locum,  
manu Melanchthonis 1556, d. 30 Decembr. scriptus; in  
eius fine autem ipse Elchanan Paullus Pragensis haec in-  
scripsit;

ישו



optime et acutissime calluerunt. Id uero exinde roboratur, quod in honorem harum disputationum, a Iudaeis Norimbergensibus habitarum, certi quidam loci Gemarici, de quibus paragr. seq. exponemus, dicti sint in Academiis Iudaeorum: *Nurenberger*. Hoc Wagenfeilius de *ciuit. Norimb. pag. 157*, eum in modum memorat: *Compellimur credere, etiam Iudaeos, qui quondam Norimbergae habitabant, fuisse ante ceteros tribules perspicacis ingenii et doctrinae singularis. Quippe 1) in praesens usque tempus (nec dubium, in omne uolubile aeuum*

C 2

idem

ישוע מניני גם עושי  
 נגהו משמים שמו הגן  
 הלא גוע דוד עז גאלה  
 הוד חן משם שמן חרוה  
 השורות האלא נקראים לאחור כמו לפנים  
 בכל שורה טו אותיות  
 נכתב פה נורנבורג שנת אלף תקפא  
 אלהן פאלוס מפראג.

Addere his lubet nostram interpretationem Latinam:

O Iesu, tu es clypeus meus, meusque conditor,  
 Cuius splendor est ex caelo, et cui est nomen eminens.  
 Tu profecto es germen illud Dauidis, Tu es robur, ipsaque liberatio a malis.

Inde Tibi maiestas est et gratia, unctio atque gaudium.  
 Lineae hae legi possunt ut a dextra finistram uersus, ita a sinistra dextram uersus; in quauis autem linea sunt 15 literae.

Scripsi haec Norimbergae, anno 1581  
 Elchanan Paullus Pragensis.

1) Idem nobis confirmavit Iudaeus quidam bene inter suos doctus. 2) Hac in re Schudtius falso interpretatur Wagenfeilius







que prodit alteris Exoticis allegatis, se sciuisse id licitum esse, unde quod scit, cur antea quaesivit? Sed neuter horum tantorum uirorum rem acu tetigit. Loci enim eiusmodi Gemarici, Nurenberger a Iudaeis dicti, has debent habere notas, prout ex paragr. VIII, et VIII disput. nostrae perceptum est: Unus adsit quasi respondens, qui aliquam de re quadam sententiam defendat; huic contra dicant duo alii, eodem ordine, eiusdemque modi argumentis, quorum ratio a nobis supra, §. VII, exposita est. Praeses autem hic quaerendus est nullus, cum in locis hisce Gemaricis non modo ficto, et caussa exercitii, sed serio, disputetur. Superfedemus itaque transferendis huc et reiiciendis illis exemplis, quae Wagenfeilius hac de re l. c. pag. 157 et seq. dedit; itemque illo exemplo, quod Bashuysenius l. c. pag. 511 a se compositum proposuit. In nullo enim eorum exemplorum, quae duo hi uiri prodiderunt, hae notae omnes apparent. Nobis uero in praesenti non licet huius rei exempla afferre; quod eiusmodi loci Gemarici nimis sunt longi, et, nisi multis explicationibus personae disputantes in iis probe distinguantur, et omnia ad regulas Mosis nostri Danielidae exigantur, et frequentes, quae in Gemara occurrunt, parentheses rite obseruentur atque annotentur, res usu caret. Alii itaque tempori studium nostrum eiusmodi exempla ex Gemara notis illustrata, cum aliis communicandi, referuamus. Vterque uero et 1) Wagenfeilius, et Bashuysenius aliquid acceperunt de eiusmodi locis Gemari-

C 3

mari-

- 1) In eo tamen Wagenfeilius longius a uero abest, quam Bashuysenius, quod putet *inextricabiles* in his locis Gemaricis *oriri triclas*, cum contra ea Bashuysenius recte dicat in iis omnem disputationem tandem confici atque enodari.



maricis a Iudaeis, qui tamen Iudaei ipsis rem omnem aut ex invidia, aut ex ignorantia non aperuerunt. Nam in utriusque descriptione aliqua reperiuntur, et praesertim multa habet Bashuyfenius, quae in eiusmodi locis Gemarae, *Nurenberger*, dictis, uere inueniuntur. Sed quia neuter horum uirorum expresse dixit, unde sua hauserint, certum aliquid definire non possumus.

§. XIII.

Cur haec  
disputan-  
di metho-  
dus *Re-  
genspurger*,  
dicatur?

Secundum nomen, urbs 1) Ratisbona methodo recensitae disputandi dedit, ubi eadem ratione, quae Norimbergae, a Iudaeis disputatum est de lege sua. Credimus tamen nobis perspicere, Iudaeos Ratisbonenses, aut tantum imitatos fuisse Norimbergensem illum disputandi modum, aut certe non adeo dextre promteque exercuisse, atque Norimbergae gentis huius homines. In quam sententiam ideo inducimur, quia nihil illius simile accidisse scitur memoriae atque honori Iudaeorum Ratisbonensium, quale Norimbergensibus Iudaeis ante tributum uidimus. Ratio enim subsit, necesse est, cur illi loci Gemarici, qui tamen disputandi modum et Norimbergensibus et Ratisbonensibus Iudaeis communem referunt, solam seruent memoriam Iudaeorum Norimbergensium, deposita Ratisbonensium recordatione. Bashuyfenius l. c. pag. 512, seq. inopinata quadam explicatione uocem *Regenspurger* deducit ab aue

שלך,

- 1) Et hoc urbis nomen uarie in Iudaeorum monumentis exaratum conspicitur, e. g. in R. Beniaminis itinerario p. 130, רשנבורק; in Petachiae סבוב; רענגשפורג; in nostro Mos. Dan. רענירשפורג; in libro יוחסין fol. ריגשבורק: קנד. In ריגשבורג: קלב. et ibid. fol. רעגענשפורג. In fine libri מראה אופנים; רענגשפורק.



שלך, quam ipse *Reger*, siue *Rayer* uertit; sed unde sibi sit additamentum: *Spurger*, non dicit. Verum nobis ob ante stabilita diutius hic non est haerendum.

§. XV.

Restat adhuc unum harum dissertationum nomen, quo a quaerentium ratione dicuntur disputationes I) **בלא זאת**, hoc est: *disputationes, quae sine eiusmodi ambagibus haberi possent, siue quae aliquid superflui in se continent.* Nam **בלא זאת** significat: *sine hoc*, id est, *ubi aliquid abundat.* Habent autem hae disputationes aliquid superuacanei, quod quisque opponentium (si quidem modo priori disputabatur) non statim unam constitutionem exoticam alteri opponebat, sed per testimonia quoque, et quasi per ambages respondentem circumscribere atque irretire studebat. Ita hac de re dicit 2) *Moses Danielides*:

Quare hoc disputandi generis **בלא זאת** nominetur?

האופן הארשין הוא שמקשה למד אוסר מברייתא המחר ואחר כך הקשה על מד המתיר מברייתא האוסרת יש לתמוה על זה המקשן אמאי לא הקשה הברייתות אהרדי פלו. Sin differere ipsis placebat ordine posteriori, id minimum abundans esse uidebatur, quod opponens uel unum testem citabat, et inter duos constitutiones exoticas, aut duos uersus e sacro codice prolatos inferebat, cum aut potuisset sine hoc uerborum ambitu producere constitutiones duas exoticas, aut duos uersus ex diuinis literis. Id quod 3) *Mof. Danielides* ita commemorat: גם כאן יש להקשות אמאי לא מקשה הברייתות או הכתובי אהרדי בלא זאת.

1) Vid. l. c. part. I, sect. 2. 2) ib. 3) Membr. II, parte 2, sect. 2.

חס ונשלם  
שבח לבורא עולם

CORQL.



## COROLLARIA.

- I. Verum est axioma: totum esse maius parte sua; neque ex eo sequitur, animam hominis esse materialem.
- II. Falsa est illorum sententia, qui statuunt, omnem spiritum habere posse plures personas.
- III. Ex simplicibus composita oriri non possunt.
- III. גפן בוקק *Hof. X, 1.* significat uitem frugiferam.
- V. איש אטר יד ימינו *Iud. XX, 16.* notat uirum, qui dextra ad iaculandum singulari arte uti nouit.
- VI. מעין *Psal. LXXXIII, 7.* notat auxiliantem.

אנתה אפפולטום רחמת ית בתי אלהיא ובתי מדרשיא  
הלא הו סימא כי תהוא מהרבץ עדיף דאורייתא.

ואנא ריש דפלונא דך כתבת  
דן לתפארת ולאדרותא  
די מרא תרצן.



Coll. diss. A. 83, misc. 12